



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**



non nisi in apertos hostes ducuntur, quod direpta Bibliotheca, lacerata documenta, sursum omnia deorsumq; versa, confracta, rupta, id certe Sacrilegium esse nullo ævo expiabile. Tot privilegia & immunitates Pontificias, Cæsareas, Regias, omnes uno scelere cum documentis, ac sigillis ademptas: ferre se injuriam nec posse, nec debere, læsam securitatem publicam, quam majores inviolabilem promiserint, proinde alio migraturam, ubi in Sacerdotium musarum insurgere nefas habeatur. Senatus † modestissimo Responso Universitatis Legatos dinatus se ex-misit: Non mandato suo, sed ingenti clamore cives ad arma vocatos: direptionem Collegii se scelus fateri, atq; in reos severiter animadversurum: libros, documenta, suppellectilem, & quidquid inde sublatum, ut restituatur, voce præconis sub gravissimis pœnis mandaturum. Fecit, quæ promisit Senatus, at pauca restituta, unus raptorum, quod studioso nodulos argenteos de thora-ce præscidisset, virgis cæsus est.

Cæsar † cum per Legatos sopire litem non posset, Moguntino, Saxonibus, Civitati, Augustæ Vindelicorum diem indicit: Comparerent ibi per mandatarios sufficienter instructos, ac sententiam Cæsaris expectarent. Mittunt suos Erfurtenses pacem rogaturi. Cedente adhuc die Dux Georgius † militem colligit: fama erat eum Eichsfeldiacos oppressurum, ideò per latebras hinc inde, & nemora defensores disponebantur, ne quâ hostis aditus perumperet. Mittunt etiam exploratores Erfordiam versus, qui famæ cer-

XVIII.

Cæsar diem  
Augustæ  
Vindelico-  
rum indicit.Dux Geor-  
gins Eichs-  
feldia immē  
net.



*Exploratores Eichsfeldiacos fugat. Arcem Vargulam expugnat.* certitudinem examinarent. † Qui cum propè Salzam venissent, à Saxonibus impetiti, numero impares, in Vargulam Erfordienſe oppidulum fugiunt. Arcem † vigintiſex Erfurtenſium civium tenebant, à quibus ſibi dedi petunt Saxones, quos fugaverant. Præſidium Domini ſui milites ſe recepiffe ait, quos ſine proditionis crimine dedere nequeat. Saxones Arcem cingunt, & advocatis pluribus copiis vehementer oppugnant, at tamen impar erat arci, & animis deſenſorum violentia, ſed Capitaneus vel in tempeſtivo timore, vel ſordibus corruptus eam dedebat, quod facinus perpetuo exilio luere coactus eſt. Retinuit † Dux ipſam arcem biennio, donec bis mille aureis redimeretur. Auguſtæ Vindelico-

*Accepta pecuniâ reſtituit.*

*Conventus*

*Auguſtanus ſine fructu diſſolvitur.*

*Saxones Mandatum Caſareum pro recipiendis exulibus impetrant.*

\* MDXI. Moguntinam civitatem conſolatur.

tioris indaginis controverſia eſſet, quam ut finem ejus Caſar expectare valeret, Würceburgum, poſteâ Schmalcaldium tranſactionem per Legatos expediendam tranſtulit. Pendente lite Saxones † mandatum de recipiendis exulibus à Caſare contra Civitatem impetrant. Senatus rem ad ArchiEpiſcopum deſert, recipi fugitivos ſalvâ Rep. non poſſe, profugos eſſe non exules, qui nulla vi pulſi, niſi quod malè actorum conſcientiâ urgente abiverint, nec reditum in Urbem tantum ſed tot criminum impunitatem, & cum hac continuationem intendi. \* Elector † for-



forti esse animo jubet, se mandati à malè informato Cæsare procedentis cassationem impetraturum: Electoratum Capitulum, & opes pro salute Civitatis stare. Senatus autem & cives munimenta sua, Cyriaciburgum, & arces reliquas validissimè custodirent. Animosi his Erfurtenses omnia ad defensionem parant: † onerant aggeres tormentis, atque gerris propugnacula muniunt. Iteratò Saxones mandati Cæsarei paritionem per literas & deputatos urgent, nisi fecerint, brevi † justo exercitu se vallum Urbis pressuros. Simul proceres, & nobilitatem Provinciæ convocant, creditum arma contrà Erfordiam indicenda. Cuncta hæc illicò Moguntiam perscribuntur. Elector rem agi seriò videns, † centum quinquaginta equites submittit, sic ut essent ducenti Moguntini equites in Urbe. Simul arbores circà vallum, & quæ tegere hostem possent, succinduntur. Numen votis, & hostiis placatur: Virgines fluentibus comis, ac candidis vestibus ornatae processiones ducunt. Saxones alacritatem Erfurtensium, & bellicos apparatus cernentes, intentatam obsidionem omitunt. Equites Moguntini vias, & campos oberrant, territisque prædonibus securitatem civibus restitunt. Sed & illa motibus internis nonnunquam interrumpitur: Eques Moguntinus in rixas † cum cive incidit, eique vehementiore ictu ma-

*Civitas à defensionem se parat.*

*Saxones obsidionem minantur.*

*Moguntinus suæ urbi præsidium submittit.*

*Militum & civium contentio.*



manum amputat. Numerosa civium turba cadentem insequitur, sibi que dedit à Moguntinis petit. Illi facinus improbant, etiam se reum dedituros, nisi jam fugâ sibi consulisset. Offensi his cives, studio occultari fontem arbitrantur, ac eorum unus, Civitati benè non futurum, priusquam Moguntini omnes trucidarentur, ait. Acriter hoc tulit Elector, & vim suæ Curiaë factam, simul convicium Senatui exprobravit. Hic improvisum plebis tumultum præcaveri non potuisse, proinde non sibi, sed dissolutis quibusdam de plebe imputare vellet, precatur, utque plenius Electorem leniret, Moguntiam proficisceretur mutilatus, & ibi jure contrâ lædentem ageret, simul Domino truncatum brachium ostenderet, instigatur, quo viso Elector omnem offensam deposuit. Rursus ditiores † inter, & tenuis fortunæ cives alia contentio, illi à Saxonibus salvos conductus emerant, sicque liberè negociabantur, hi contrâ frequentius pressi. Non diu latuit redimentium immunitas, atque ad Senatum, occultè cum Saxonibus, & ipsis hostibus, ditiores pactos esse, defertur, ille re compertâ aliquot millibus nocentes mulctat. \* Cæsar Coloniaë Proceres Imperii convocaverat, testatoribus, scribis, ac litium processui leges dictabantur. Causa Erfurtensis videbatur huic Comitio quadrare, vocata ergo Civitas, monita etiam

*Simulacres  
inter ipsos  
cives.*

\*MDXII.

ab



ab Electore, ut mandatarios mitteret. † *Cæsar decidere litem differt.*  
 At abstinuit à lite Cæsar, quam sine alterutrius Electoris offensâ decidere non poterat.

Hæc iterum atrocior lis excepit: † **XIX.** *Dissidiū inter Senatum & Clerum.*  
 Concionator ad S. Severum verba ad populum ambigua fecerat, quæ in Senatûs ignominiam à quibusdam intellecta, scilicet: *Dominos majores urbem prodere, caveret ab his sibi communitas, à regentibus plus detrimenti reip. quam à vilioribus imminere.* Senatus ab Electorali Sigillifero, ut captum Ecclesiasten ad concionis rationes adigat, petit: *periculosam rem esse, si Prædicatores ad populum factiosè loquantur, ibi rebellionem sub coloribus sanctis facilius adornari. Pacis vocem, non discordiarum concionatoribus mandatam, proinde Severianum Ecclesiasten coerceret, ut ex publica pœna publici delicti atrocitas populo innotesceret.* Sigillifer inquisitionem aliquam præmittendam capturæ dicit, seque pro qualitate rei secundum leges decreturum; at Senatus, cui Clerus suspectus, quod Mariani Collegii Scholasticus exulum caput esset, moræ impatientens Concionatorem ad custodiam rapit. Clerus læsam immunitatem Ecclesiasticam queritur, & in eâ ArchiEpiscopalem Jurisdictionem, illam tot censuris, hanc armis quoque munitam. Senatus remittente primo impetu maturius rei momentum discutit, & captivum carceri ArchiEpiscopali tradit, ille postea dimissus Romanæ Curiae fulmen in omnes, qui consilio